



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Vtrum Sancti pro nobis orent 47

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Tertia pars. *Vtrum Sancti pro nobis orent.*

CAP. XLVII.

DE tertia hac questione nulla est singularis controuersia. Quod enim Sancti in cœlis salutem nostram desiderēt, ac Deum, prout cœlestis eorum vitæ conditio fert, orent, contra hoc nihil in libro Reformationis positum est, sed docetur idem. Hanc verò intercessionem velle peculiariter distinguere, & vni sancto orationem contra febrim, alteri contra Pestilentiam, alij contra alia incommoda & calamitates tribuere: quinetiam docere, quòd Sancti, prout omnis generis cultibus à nobis honorentur, eiusmodi intercessiones faciant, de eo neque scriptura, neque veterum Patrum doctrina inuenitur.

Quarta pars. *De Inuocatione Sanctorum.*

Circa quartam quæstionem, de Inuocatione sanctorum est acerrima pugna, & grauißima controuersia. Ad eius enim defensionem Aduersarij & scripturis, & testimoniis S. Patrum vtuntur, quæ aliquantulum examinemus.

Ex locis Scripturæ quæ citant, primum est, quòd Dominus in figurata illa descriptione supplicij diuitis, qui paupertatem & miseriam Lazari iacentis ad fores domus suæ, negligebat, meminij inter cætera, Diuitem illum in tormentis suis Abrahamum inuocasse; rogasseque, vt mitteret Lazarum, vt extremitatem digiti sui in aquam intingeret, linguamque eius refrigeraret. Ex hoc loco, dicunt Aduersarij, manifestum esse, quòd Inuocatio sanctorum in Iudaismo, quo tempore Christus docebat, adeò non fuerit reprehensa, vt etiam vsus eius pius crederetur. Hic rursus apparet, quàm malè homines isti aduersus Archiepiscopum suum & Christianam Reformationem sint affecti. Nouerunt hanc esse figuratam locutionem, ex qua dum de Christiana doctrina controuertitur, nullæ probationes desumi possunt: quòdque Dominus hac similitudine nihil aliud quàm diuitis supplicium & cruciatum describere voluit. Vt nihil ex ea concludi possit, quàm quod hi, qui in hoc mundo in vera fide afflictiones & calamitates perpetiuntur, & ab omnibus contemnuntur, in futura vita æternum gaudium ac summum honorem sint habituri: quemadmodum è contra æternas pœnas, & confusionem sempiternam, qui donis Dei in hac vita abutuntur, pauperumque necessitatem ac egestatem contemnunt. Quod eorum supplicium inde magis augebitur, quia tunc cognoscent, quantis gaudiis & honoribus apud Deum fruuntur hi, quos ipsi in hoc mundo contempserunt & afflixerunt. Cuiusmodi verò hoc supplicium gaudiumque sit, quidve communicationis & collocationis sit inter eos, qui cœlesti gaudio fruuntur, & contra qui gehennæ incendio torquentur, ex hac similitudine colligi nequit. Alioquin sequeretur quoque, animam Abraham sinum, & Lazari digitos,

digitos, & diuitis hominis linguam habere, quodque lingue eorum, qui in inferno sunt, aqua refrigerari possent.

At quàm infirma hæc est probatio Inuocationis sanctorum, quæ sumitur ex eo, quod Dominus de diuite homine in inferno pronunciauit? Nunquid ab iis debemus discere, orare, auxiliùmque Dei implorare, qui in inferno sunt?

Alter locus scripture quem citant, est ludibrium inimicorum & infestissimorum hostium Christi, quo illum affecerunt, cum clamasset in cruce: *Eloi Eloi lamna sabachthani*, dicentes, Heliã vocat, sine, videamus an veniat Heliã liberaturus eum. Vnde dicunt aduersarij, satis apertè significatur, inuocationem Prophetarum etiam Iudæis in vsu fuisse, nec fuisse tanquam impiam damnatam. atque ita secundam confirmationem Inuocationis sanctorum ex blasphemia verborum Christi peruersione depromunt, quam acerbissimi eius hostes, in contemptum ac ludibrium eius exercebant. Nunquid hæc non horrenda est & atrox peruersio ingenij eiusmodi doctorum hominum? Infensissimi hostes & illustres Christi peruertunt verba Domini, & inuocationem Patris, per irrisionem, dicentes, Heliã vocat. Hoc debet continuo esse augmentum, & infallibile signum, quod Inuocatio Prophetarum tunc temporis in Iudaismo fuerit vsitata. Et hæc argumenta, quæ aduersarij ex S. scriptura pro confirmanda sanctorum inuocatione desumunt. Dominus eorum misereatur, si fieri potest.

Deinde nonnulla dicta S. Patrum adducunt, partim ex veris eorum libris, partim ex adulterinis, & falsò nominibus eorum inscriptis, cuiusmodi sunt, Liber meditationum & De agnitione veræ vitæ D. Augustino adscripti.

Quod ex Basilio citant de XL. Martyribus, nemo est qui non videat esse Rhetoricam apostrophem: qua figura quemuis hominem absentem, imò etiam res quaslibet sensu carentes, vt montes, arbores, aliæque id genus, alloqui solemus: qui modus loquendi in scripturis frequens est. Verum ex eiusmodi apostrophes nulla doctrinalis locutio fieri potest. Quod verò ex Origene, super hæc verba (ordinate in me charitatem) adferunt, id quilibet peritus Theologus nouit nihil concludere. Primum enim locus iste in Hebraico textu habet, Signum eius vel vexillum super me est charitas: non autem, Ordinate in me charitatem, sicut veteres legerunt. Hieronymus vocabulum (ordinate) primùm ad ministros doctrine Christi refert.

Verum autem est, temporibus Basilij & Chrysofomi ceptum fuisse, vt sancti ipsi inuocarentur. Prudentius poëta in hymnis suis de Martyribus fermè omnia à sanctis orauit, quæ à solo Deo petenda sunt. Verum quò tandem euasit declinatio ista à formula precandi, quam Dominus ipse prescripsit, & Spiritus factus in vniuersa scriptura passim proposuit? quanta defectionem à Deo Patre nostro cœlesti, & vnico mediatore Christo genuit?

Postquam igitur hoc cū grauissima offensione & dissipatione veræ Christi-

stianæque inuocationis experti sumus, quare non ad pristinam & certam inuocandi formam nos reciperemus, alioque ad eam reduceremus, ad inuocandum Deum, quemadmodum ipse Dominus & vnicus Magister noster Christum nos docuit, præsertim cum promissionem habeamus ab eo, quod quicquid simus ab ipso petiti, sit facturus & daturus nobis.

Citant quoque experientiam Aduersarij, & miracula quædam auxiliæque commemorant, quæ contigerunt his, qui aliquando Sanctos inuocarunt. Verum quis de hac experientia nos confirmabit, ac certos reddet? Libri enim quos Aduersarij allegant, Euangelium non sunt, Sacra scriptura non sunt, neque tantæ authoritatis, ut certo & indubitæ illis fideri possim. Ad hæc præmoniti sumus à spiritu Sancto, quod Antichristi aduentus futurus sit secundum operationem Satanæ, cum omni potentia, & signis, ac prodigijs mendacibus, 2. Thess. 2. Omnia vera signa, quæ Dominus Ecclesiæ suæ promisit, eò deseruiunt, ut Euangelium Christi, & fides non confirmetur, Iesum Christum vnicum esse Seruatorem. Marc. ult. Ioan. 20. Ex hoc quoque Augustinus agnoscit, Libro de cura agenda pro mortuis, Ea tantum signa esse & miracula Dei, ædita apud memorias martyrum, quæ valent ad ædificandam fidem Christi, propter cuius confessionem martyres supplicia pertulerunt.

Sic de ciuitate Dei lib. 22. cap. 10. d. sed vide quælibet miracula in eisdem narrat.

Quapropter quicquid tandem de miraculis & auxilijs sanctorum vel scriptis proditum, vel fama sparsum, vel experientia compertum sit, eò semper in primis diligenter respiciendum est, quid in eiusmodi scriptis, relationibus aut visis verum aut falsum insit. Omnes homines mendaces sunt: quare scriptis aut relationibus eorum fides nostra in rebus diuinis niti non potest. Diligenter & hoc quoque animaduertendum est, quænam sint vera signa & miracula Dei, conducentia ad ædificationem fidei in Christum: contra verò quæ nihil aliud sint, quàm meræ præstigiæ, & fallaciæ Diaboli, pœnæque incrudelitatis, per quas Dominus Deus efficaciam illusionis immittit his, qui dilectionem veritatis non receperunt, 2. Thess. 2.

Præter hæc omnia, quicquid tandem de Inuocatione sanctorum vel doctum, vel vsurpatum, vel experientia confirmatum sit, nobis tamen, qui Christiani esse volumus, non competit, recedere ab eo, quod Dominus ipse nos docuit: vel etiam aliquid recipere, quod ab hominibus excogitatum est, à Christo autem, vel Apostolis eius nullibi traditum, *Anathema enim, ut inquit Paulus, nobis esse debet, quicumque aliud Euangelium prædicauerit, quàm ab Apostolis prædicatum est, Galat. 1.* At manifestum est, hoc esse aliud Euangelium ab eo, quod Christus & per semetipsum, & per Apostolos suos nos docuit, quod iubet nos alios aduocatos apud Deum, & intercessores in cælis querere & inuocare, quàm vnicum mediatorem ac saluatorem Christum. Quamobrem hoc apud vetustiores Patres non inuenitur. Ad hæc conseruauit Deus in Ecclesia sua, ut in omnibus Collectis solus Deus Pater per Christum inuocetur, sicut antea commemoratum est.

Cum igitur hæc Oratio sacerdotis in sacro Officio & vocetur, & esse debeat Canon vere orationis Ecclesiasticæ, priuatæ quoque preces

tiones ad eandem regulam, utpote ex S. scriptura desumptum, & que verum orandi modum tradit formari, & ad solum Deum dirigi debent.

Antiquus Doctor Tertullianus scribens aduersus Praxeam in principio libri, inquit, Commune hoc esse, contra hereses propugnaculum, id esse verum, quodcunque primum: id esse adulterinum, quodcunque posterius. Item de præscriptionibus hereticorum: *Nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipse quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed accepta à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. In quo etiam si Angelus è caelis aliter Euangelizaret, anathema diceretur à nobis.* Hæc scripsit D. Tertullianus ante mille trecentos annos, idque ex verbo Dei, & veris Apostolicis traditionibus, quemadmodum in Apologia primi Articuli est ostensum.

Patet igitur inuocationem Sanctorum in doctrina quam nobis Christus Dominus & per seipsum & per Apostolos suos à principio tradidit, non esse comprehensam, sed longè post ex humano ingenio ac placito excogitatum & introductam. Quare & falsam esse oportet, & cuius Christiano fugiendum, sicut etiam verè Inuocationi Dei, & vnici mediatoris Christi quam nobis Sacra scriptura proponit, omnino contraria est, sicut & in libro Reformationis, & hinc quoque abundè demonstratum est.

Hinc est quòd nullum Concilium hoc humanum inuentum confirmare potuit. Adhæc manifestum est, Concilia quoque interdum à veritate aberrare posse, id quod non rarò contigit, ut de Ariminensi, & Ephesino secundo, aliisque legimus. Sextum quoque Constantinopolitanum Concilium, quod Aduersarij hoc loco citant, eodem hoc tempore celebratum est, quando plurimi errores iam inualescere cœperant.

Hæc omnia qui diligenter perpendere, seriòque ponderare volet, is facile videbit, Inuocationem Sanctorum, pro qua tam acriter Aduersarij pugnant, quantum is in recentioribus eorum Litaniis, & aliàs frequens & perulgata sit, reuera nihil aliud esse, quam humanum inuentum, de quo non tantum ex verbo nihil certò fieri potest, vtrum Deo placeat, imò etiam, an sancti eam percipiant & intelligant. (Quod enim D. Augustinus incertum esse faterur, id poëta Prudentius, cuius autoritate Aduersarij nituntur, certum non redder) verum etiam veræ inuocationi Dei per vnicum mediatorem Christum contrariatur & derogat. Adhæc quiuis Christianus, qui diligenter ad ea quæ Aduersariorum obiectiones responsa sunt, attenderit, liquidò videbit, hoc humanum inuentum, per omnia ea quæ ab Aduersariis in medium adducta sunt, defendi non posse, multò minus Christianis ad vsurpandum confirmari & stabiliri.